

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0383

Sabato 07.06.2008

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO PER LA CELEBRAZIONE DEL 49° CONGRESSO EUCARISTICO INTERNAZIONALE (QUÉBEC, CANADA, 15-22 GIUGNO 2008)

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO PER LA CELEBRAZIONE DEL 49° CONGRESSO
EUCHARISTICO INTERNAZIONALE (QUÉBEC, CANADA, 15-22 GIUGNO 2008)

In data 12 aprile 2008, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Jozef Tomko, Presidente emerito del Pontificio Comitato per i Congressi Eucaristici, Legato Pontificio per la celebrazione del 49° Congresso Eucaristico Internazionale, in programma a Québec (Canada) dal 15 al 22 giugno 2008.

La Missione che accompagnerà l'Em.mo Card. Jozef Tomko è composta da:

- S.E. Mons. Pierre-André Fournier, Vescovo Ausiliare di Québec;
- Rev.do Mons. Jean Pelletier, Cancelliere della Curia;
- Rev.do Sac. Alain Pouliot, Responsabile del Servizio di Risorse umane per la Pastorale;
- Rev.do Mons. Luca Lorusso, Consigliere della Nunziatura Apostolica in Canada.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Cardinale Legato:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro

IOSEPHO S.R.E. Cardinali TOMKO

Praesidi olim Pontificii Comitatus

Eucharisticis Internationalibus Conventibus provehendis

"Sanctissima Eucharistia donum est Iesu Christi se ipsum tradentis, qui Dei infinitum nobis patefacit in singulos homines amorem". Hac sententia placuit Nobis Adhortationem Apostolicam Postsynodalem *Sacramentum caritatis* (n. 1) inire, in qua praecipua quaedam elementa officiaque explicavimus ad novum in Ecclesia impulsus eucharisticum concitandum. Nunc vero animum Nostrum praeparamus ad singularis ponderis eucharisticum eventum, ad XLIX videlicet Congressum Eucharisticum Internationalem, tempus scilicet precis, meditationis atque eucharisticae renovationis, qui diebus XV-XXII proximi mensis Iunii Quebecensi in urbe celebrabitur. Haec *Statio orbis* eodem evenit anno quo iam memorata urbs CD anniversariam memoriam conditionis suae celebrat et Mexicani fideles Ecclesiae implantationem in septentrionali patriae regione recolunt.

Grato animo humanissimam accepimus Epistulam Venerabilis Fratris Nostri Marci S.R.E. Cardinalis Ouellet, Archiepiscopi Metropolitae Quebecensis atque Canadae Primatis, qui, auditis auctoritatibus civilibus et Conferentia Episcoporum Canadae, Nosmet Ipsos ut hunc Congressum Internationalem Eucharisticum participarem invitavit. Cum ob negotiorum Nostrorum abundantiam hoc fieri nequeat, aliquem eminentem ecclesiasticum virum quaerimus qui Nostro Nomine huic Congressui praeesse valeat. Itaque ad Te, Venerabilis Frater Noster, animum Nostrum vertimus qui, Praeses olim Pontificii Comitatus Eucharisticis Internationalibus Conventibus provehendis, non solum singulari hac in doctrina de Eucharistia excellis peritia sed etiam erga Eucharistiam nota devotione.

Idcirco harum Litterarum vi Te designamus Legatum Nostrum, mandatis Tibi factis, ut memoratis diebus in praeclara Canadae urbe sacris celebritatibus Nostro nomine praesides atque Nostros pastorales sensus fidelibus ibi congregatis humaniter renunties. De Eucharistia loqueris quae "donum Dei est pro vita mundi", atque omnes adhortaberis ad spiritalem vitam per eam renovandam, fontem scilicet cuiusque formae sanctitatis.

Dum per Te, Venerabilis Frater Noster, omnes consalutamus Praesules et fideles qui Quebecum ad Congressum advenient, precibus Nostris omnes comitamur atque Deum omnipotentem obsecramus ut, materno praesidio Beatae Mariae Virginis suffulti, praeceptum caritatis in vita cotidiana diligentius servare pergant.

Munus tuum magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimus, universis Congressus Eucharistici Internationalis Quebecensis participibus transmittendam.

Ex Aedibus Vaticanis, die IX mensis Aprilis, anno MMVIII, Pontificatus Nostri tertio.

BENEDICTUS PP. XVI

[00898-07.01] [Testo originale: Latino]
